Stanislaus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviaeque.

Significamus praesentibus Literis Nostris, quorum interest Universis et Singulis, Quia Nos habita Notitia de recta in obeundis Functionibus, Negotiis, Mercaturis tractandisque et Conquirendis ad Usum Aulae Nostrae accommodabilibus rebus et Mercimoniis Infidelis Samuelis Prochownik Incolae et Mercatoris Civitatis Nostrae Posnaniensis dexteritate et experientia, atque ad praestanda Nobis obsequia ejus Animi promptitudine, faciendum esse duximus, ut eundem in Factorem Nostrum assumeremus et Constitueremus; Uti quidem hisce Literis Nostris assumimus et Constituimus. Dantes et Concedentes Illi plenam et omnimodam facultatem, omnibus de Iure et Consvetudine ad id Officium Factoratus spectantibus Praerogativis et Immunitatibus gaudendi et Ussufruendi, ita tamen ut a Consvetis Jurisdictionibus, et Contributionibus publicis eximi se se non praesumat. Quod ad Notitiam Omnium quorum interest deducere volentes, mandamus, quatenus Praefatum Infidelem Samuelem Prochownik pro Vero, reali et Actuali Factore Nostro habeant et agnoscant, et de Immunitatibus ac Praerogativis huic Officio Competentibus et Ipsi respondeant, et ab Aliis responderi [illegible] pro Gratia Nostra Regia. In quorum fidem praesentes Manu Nostra Subscriptas Sigillo Regni co[illegible] Datum Varsaviae Die XI Mensis Aprilis Anno Domini MDCCLXVII Regni [illegible] [illegible]nno.

Stanislaus Augustus Rex

Factoratus Regius Infideli Samueli Prochownik Incolae et Mercatori Posnaniensi Confertur.

Antonius Suchorzewski S. R. M.tis et Sigilli Regni Secretarius

14